

**1356-1356- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Viridunum Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Viridunum celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · LVI° ·

**Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: Qui durante capitulo vices gerat magistri [generalis] in omnibus dumtaxat, que ad tractatus et acta capituli pertinebunt, deleatur id, quod sequitur: et extra capitulum locum suum teneat, et dicatur sic: Locum magistri ubique teneat et fidelium dicat et licentiam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis ut magister; et statim sequatur, prout ponitur: sed in diffinitionibus unam tantum habeat vocem.

Item inchoamus hanc: In ordinario in rubrica de festo [corporis] Christi in fine addatur sic: quod si in octavis corporis Christi festum simplex vel maius occurrerit, in sequentem immediate sextam feriam transferatur preterquam festum beati Iohannis baptiste et apostolorum Petri et Pauli. Et hec omnia medio tempore observentur.

Item inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Volumus autem, quod electio predicta spectet tantum ad priores conventuales et duos fratres de quolibet conventu ad hoc idem [electos], addatur: pro qualibet electione prioris provincialis fienda, si pluries fieri contigerit, noviter electos.

**Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: [In capitulo] de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si autem priorem provinciam in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali mori vel amoveri (etc.), addatur statim immediate: vel quocumque alio casu infra idem tempus aliquam provinciam priore provinciali carere contigerit, ad ipsum capitulum provinciale eius electio pertinebit. Et hec medio tempore observentur.

**Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: ad: Suscipe deprecationem nostram, addatur: Item quodcumque nomen Ihesu in collecta, in prefacione, in antiphona et gloria in excelsis nominatur. Quando vero nomen Ihesu alias nominatur in choro, fratres eidem reverentiam faciant, capite devocius inclinato. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In ordinario post illud noviter confirmatum de memoria s. Thome fienda, addatur sic: Tempore resurrectionis addatur alleluia brevi tono dictis antiphonis correspondens. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In capitulo De itinerantibus, ubi dicitur: Ex vi presentis statuti, deleatur, quod sequitur: omni voce etc., usque ibi: nisi per magistrum ordinis, et dicatur sic: in penam incidat culpe graviore debitam ipso facto; in qua cum tali dispensari non possit, nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In capitulo de graviore culpa in constitutione noviter confirmata, ubi dicitur: idem dicitur de fratribus, qui inventi fuerint ad taxillos lusisse, addatur sic: vel in sententiam excommunicationis a quocumque iudice nostri ordinis rite latam scienter incidisse fuerint deprehensi. Et hec habet tria capitula.

Et volumus et ordinamus, quod omnes proxime posite confirmaciones et alie omnes predicte per presidentes in suis locis protinus conscribantur.

**Iste sunt ordinaciones.**

Inprimis cum sit nimis grave et valde perniciosum leges et iura, quibus vivere convenit, in anime dampnationem ignorare, ordinamus et monemus in domino omnes ordinis rectores tam priores provinciales quam alios presidentes, quatenus constitutiones ordinis faciant ubique et ab omnibus fratribus inviolabiliter observari, penas imponendo transgressoribus in eisdem taxatas seu per prelatos ordinis alias ordinatas, in quibus vel nullatenus vel raro et ex causa rationabili dispensare non presumant, et sub pena absolucionis mandamus prioribus provincialibus universis, quod priores (non) absolvant, quos in predictis [vel] relaxando vel faciliter dispensando repererint deliquisse. Et volumus et ordinamus, quod constitutiones ordinis semel infra duos menses in mensa fratribus omnibus in refectorio comedentibus integraliter perlegantur, adicientes et ordinantes, quod pueri noviter ad ordinem recepti, postquam psalterium, ut moris est, cordatenus sciverint, antequam ad alia exponantur, cogantur dictas constitutiones in pectore integraliter et perfecte reponere.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis, quod studeant studium in suis provinciis efficaciter reformare iuxta ordinata per generalia capitula multis annis, et arcent fratres per penas arbitrarias ad sequendum scholas legencium, et specialiter principalium lectorum. Et volumus et ordinamus, quod in singulis conventibus deputetur aliquis frater vel secularis, qui iuvenes ignaros instruat diligenter, nec aliquis possit fieri studens in aliqua facultate nec ad sacros ordines promoveri, nisi fuerit in grammatica sufficienter instructus; nec exponatur aliquis ad legendum nec mittatur extra provinciam ad studium, nisi priori provinciali et diffinitoribus de eius sufficiencia in moribus et sciencia constiterit testimonio fide digno. Inhibemus autem fratribus ordinis universis, ne scienciis vanis et conclusionibus curiosis et peregrinis studeant vel insistant, nec conversentur cum fratribus quibuscumque, qui talia docent seu predicant et conclusiones temerarias, falsas, periculosas aut suspectas,

maxime contrarias determinacioni sancte matris ecclesie, et insistant doctrine communi sanctissimi doctoris nostri. Quod si aliquis admonitus non se correxerit, ipso facto penam gravioris culpe se noverit incurrisse ex vi presentis statuti.

Item. Ordinamus, quod de cetero nullus fiat predicator generalis, nisi fuerit sufficiens in moribus et vita et sciencia, et qui alias de crimine non fuerit convictus; nec prior aliquis propter suos defectus absolutus possit illo anno fieri visitator.

Item. Ut magistris et baccalareis Parisiensibus omnis dissensionis occasio subtrahatur, volumus et ordinamus, quod quando infra eundem annum contingit duos bacalareos nostri ordinis Parisius legere sentencias, quorum unus legerit estivaliter, ut moris est, alter ordinarie, ille, qui ordinarie sentencias legerit primo ad magisterium presentetur, alter vero quibuscumque bacalareis anni sequentis legentibus sentencias in magisterio et presentacione preferatur, nisi forte in predictis per sedem apostolicam contigerit aliter ordinari. Adiiicientes ad predicta, quod multorum bacalareorum intraneorum licencia et expedicio ad magisterium graciosam non tollit nec preiudicat expedicioni intraneis debite de rigore, et idem dicimus et decernimus per omnia de bacalareis extraneis et volumus in posterum taliter observari.

Item. Mandamus et districte imponimus fratribus universis, quatenus prelati et ecclesiarum rectoribus debitam reverenciam exhibeant, nec eos provocent quovis modo, imponentes districtius prioribus provincialibus et aliis presidentibus, quod ubi[cum]que invenerint tales, graviter puniant et restringant; et idem dicimus et volumus fieri contra illos, qui constitutionibus ordinis et factis ordinacionibus mala verba direxerint quovis modo.

Item. Ad instanciam procuratoris ordinis mandamus et districte imponimus prioribus conventualibus universis et vicariis eorumdem, quatenus quodcumque continget, aliquem fratrem contra suos superiores et a correctione ordinis appellare, factam huiusmodi appellacionem et occasionem appellandi, mittere indilate procuratori ordinis non omittant; alioquin, si quis contra hoc fecerit et negligens inventus fuerit, per reverendum magistrum ordinis se noverit graviter puniendum.

Item. Mandamus et districte imponimus prioribus provincialibus universis, quatenus privilegia ordinis preter illa, que in privilegio, quod mare magnum vocatur, continentur, et indulgencias ordini communiter indultas contentas in bullis et aliis publicis instrumentis in suis provinciis diligentissime perquirant, et si necesse fuerit per preceptum, et cum subiectis clausulis ad brevitem redacta fideliter reverendo patri magistro ordinis aut procuratori ordinis aut ad sequens capitulum generale mittere non omittant, signando huiusmodi conventus, in quibus huiusmodi indulgencie vel privilegia potuerint reperiri.

Item. Volumus at ordinamus, quod quicumque frater deprehensus fuerit consuluisse Pythonem aut alchymiam fecisse, carcerali custodie mancipetur, que pena per priores provinciales sub pena absolucionis protinus imponatur, mandando eisdem, ne frater quicumque camisiam lineam portet ad carnem, transgressoribus penam gravis culpe cum effectu totaliter imponendo; prohibendo districtius, quod frater quicumque sudarium ad collum (non) portet per conventum nec per civitatem aut villam quamcumque.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis sub pena absolucionis et eorum vicariis et aliis, quorum poterit interesse, quatenus electos in priores quantumcumque unanimiter per conventus, confirmare non presumant, nisi universaliter ex preteritis presumant, quod correctioni et honestati et reformationi ordinis dabunt operam efficacem, non obstante, quod huiusmodi electi in moribus non deficiant nec sint aliter criminosi.

Item. Ordinamus, quod fratres, qui per reverendum patrem magistrum ordinis de una ad aliam provinciam translati [fuerint], in priores nullatenus assumantur absque priorum provincialium testimonio, de quorum provinciis fuerint assumpti.

Significamus fratribus universis, quod reverendus pater magister ordinis et diffinitores huius anni commiserunt cuilibet priori provinciali, quod in sua provincia possit dispensare cum fratribus apostatis vel punitis, et eis gracias ordinis et vocem restituere, prout honestati ordinis in eorum conscienciis iudicaverint expedire.

#### **Iste sunt penitencie.**

Propter gravia disturbia, scandala et diffamaciones dampnabiles et enormes perpetrata per fratres inferius nominatos de conventu Metensi ipsos provinciis et conventibus sequentibus assignamus. Primo: conventui de uiculis de provincia Ungarie fratrem Iohannem de Fonte et Sidalmanum. Item conventui Bergensi de provincia Dacie fratrem Henricum de Mescliniis et Ugonem Feci. Item conventui Dublini de provincia Anglie fratrem Albertum de sancto Viro et Arnulfum Rutinem. Item conventui Cruviensi de provincia Yspanie fratrem Bertrandum de Vandevilla et Iohannem Bochannym assignamus, mandantes omnibus et singulis predictis in virtute sancte obediencie, quatenus infra mensem a noticia presencium recedant de dicto conventu Metensi et versus conventus, quibus sunt assignati, recta via dirigant gressus suos. Et nichilominus omnes prefatos et alios et singulos fratres dicti conventus, qui cum superius nominatis vicario reverendi patris magistri ordinis hactenus non obediverunt nec obediunt, eciam de presenti nos omnes et singuli priores provinciales et diffinitores huius anni unanimiter et concorditer audientia confessionum quorumcumque secularium et predicacione ac omnibus et singulis graciis ordinis ex causis racionabilibus et certa sciencia privamus, imponentes et mandantes eisdem in virtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis, quod presentem privacionem et subtractionem firmiter et inviolabiliter teneant et observent.

Item. Denunciamus fratribus ordinis universis, quod prior provincialis Francie de potestate sibi tradita a sancta sede, de consilio nostro et aliorum de dicta provincia, absolvit ab officio inquisitionis Lotharingie fratrem Iohannem de Fonte.